

2. B. V. D.
De
**MORALITATE
FALSILQÜII**

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

Quam

Permissu

Amplissimi Ordinis Philosophici,

In

Regia Pomeranorum Universitate,

Sub PRÆSIDIO

D_N. M. NICOLAI GRUBB,

Westr. Both, Suec.

Publico Eruditorum Examini

modeste exponit

Auctor & Respondens

WULF SCHWERDFEGER;

Helsingb. Suecus.

Ad D. 10. Januar. M DCC IX.

GRYPHIS W ALDIE,
Typis GEORG. HENR. ADOLPHI,
Acad. Reg. Typogr.



SAC. REG. MAJEST. SUEC.

Magnæ Fidei Viro,

Reverendissimo in Christo Patri ac Do-
mino,

**DN. MATTHIÆ
STEUCHIO,**

SS. Theologiæ Doctori longe Famige-
ratissimo, Scaniæ & Blekingiæ Episcopo Eminentissi-
mo, Academiæ Londinenis Pro-Cancellario Magnifi-
co, Consistorii Ecclesiastici Præsidi Splen-
didissimo,

ut &

Summe Reverendo, Amplissimo atque Excellen-
tissimo Domino,

DN. THOMÆ JHRE,

SS. Theologiæ Professori longe Celeberrimo, & Con-
sistorii Adseffori Meritissimo,

*Dominis, Patronis, Promotoribus ac Mæce-
natibus, humillimo pietatis cultu ad urnam
prosequendis,*

Hanc Disputationem, ea, qua par est, animi devotione
sacram esse jubeo.

Reverendissime Domine Episcope.

Summe Reverende Domine Professor.



*Uia æquitas pietasque omnino jibent, ut illi
qui literis sese consecrarent, industriae ac
laborum suorum reddant rationem illis ipsis,
quorum auspiciis vel in campum Studiorum
immissi fuerunt, vel olim in publicam lucem,
usumque deduci desiderant, ut quid ab illis
Ecclesia vel Respublica exspectare debeat, videant publici
salutis custodes; Ideo & ego, VOBIS, Reverendissime
Episcope Summeque Rev. Domine Professor, quos
sacris rebus præesse, Regia jussit clementia, meam probare
debui pietatem, officium, industriam, & mea denique studia.
Præsentem itaque Disputationem Philosophicam rudi mi-
nerva a me exaratam VOBIS ea qua par est, animi sub-
missione offero, dico, consecro. Munusculum equidem est Ve-
stris in me meritis longe inferius vestroque fastigio indignum,
cum crasso admodum filo elaboratum fatear; Ab argumen-
ti tamen dignitate aliquam id mereri commendationem
confido, utpote quod neque Theologum dedecere existimo,
cum tot in sacris Pandectis simulationis ac dissimulationis
prostrent exempla. Accipite itaque, Patroni Maximi, sere-
na, uti soletis, fronte basce studiorum meorum primitias,
& animi mei ingenuitatem magis, quam rei præstantiam
estimate. Ego interea nunquam non Deum T. O. M. devo-
tissimis fatigabo precibus, dignetur TE, Reverendissime*

) 2

Epi-

Episcope, largissimo benedictionis cumulo sine intermissione
beare, Te nobis omnibus, qui venerandam Tuam caniciem hu-
millimo pietatis cultu prosequimur, stupendam Tuam, & ubi-
que celebratam Eruditioinem adoramus, & singularem pror-
fus humanitatem, qua neque vulgus (cujus ego pars minima)
aspernaris, miramur, in seros usq; annos salvum ac incolumen
præstare. Habebit tum Ecclesia antisitem, Pastorem ac De-
fensorem, de quo sibi impensè gratuletur; & ego Patronum
certissimum. Pro Tua quoque incolumentate, Summe Rev.
Dn. Professor, ardenter fundere preces nunquam desi-
nam, servet Te Deus immortalis in commodum Ecclesiae, &
Juventutis Academicæ incrementum, concedat Tibi vires
ex alto ad sustinendum Magnificum Rectoratus munus, &
sceptra Academica ferenda, quæ propediem suscepturus
es, ad quæ Tibi propensissimo humilitatis affectu e terris
peregrinius gratulatur Cliens Tuus humillimus, & virtutum
Tuarum æstimator æquisimus. Appreco Tibi in gra-
visimo hoc munere gerendo uberrimam benedictionem, ut o-
mnia Tibi ex voto prospere cedant, quo siet, ut domum prope-
diem rediens, sub Tuis auspiciis, patrum Athenaeum florere
videam, quam felicissime. Sic ex intimis cordis penetralibus
vovet, qui benevolentiam ac patrocinium vestrum humili-
me exoptat & ad cineres usque manet

Reverendissimi ac summe Reverendi
Nominis Vestri

Cultor perpetuus,
WULF SCHWERDFEGER,
A. & R.



Virtute Salvatoris!

I.



Eritatis, qua quis, uti loquitur *Saturnius*, nihil aliud clausum in pectore habet, quam promptum, in lingua, actionesque suas secundum normam veri instituit, tanta vis est, ut haec hominibus non tantum existimationem simpli-
cem conservare, sed & intensivam conciliare, eamque mirum in modum augere omnino possit. Quapropter in hujus laudes eo exspatiari non dignabimur, ut illam omnium virtutum reginam, nuncupare haud dubitemus. Qui hanc amat & per illam eam fibi apud omnes opinionem comparat ac famam, ut quivis credat locutum sine omni exceptione esse verum, & dictum, in fide data factum, hic quamvis aliquando ex sua sinceritate damnum sentiat, quod secundum regulas prudentiae in rebus levioris momenti floccifacit; multum tamen ex hac animi sui ad veritatem propensione lucrabitur. Nam quia talis homo rara avis est inter mortales, & omne rarum charum, ideo quo-

A

quoq; majori in pretio habetur, juxta effatum Tullii L.3.
 de offic. admiratione afficiuntur illi homines, qui carent iis vitiis,
 quibus alii haud facile carcere possunt. Admirationem presso
 pede sequitur aestimatio, qua fit, ut quilibet eiusmodi ho-
 minum confortium ambiat, eosque, pro conditione ge-
 neric, status ac muneric, omni venerationis ac obsequii
 genere prosequatur. Hic interim notandum, quod
 quamvis veritatem, de qua loquimur, Ethicam (quaे
 uti veritas Logica consistit in convenientia propositionis
 cum re extra mentem, ita hæc in convenientia si-
 gnorum externorum maxime sermonis cum mente)
 tantis extollamus encomiis, non tamen velimus o-
 mnem veritatem ethicam esse virtutem moralem; nam
 ista versatur etiam circa res indifferentes.

II.

Cum tanta virtute, nulla ratione primo quidem in-
 tuitu consistere posse videtur falsiloquium: quippe quod
 homines omni virtutis ac sinceritatis opinione spoliare
 videtur. Nam & ipse existimo, nullam rem magnam
 ac vere laudabilem ab eo geri posse, cui fidem datam
 servare, ac veritatem loqui grave fuerit. Interim tamen
 & in ea versor sententia, quod si caute & secundum
 regulas genuinæ prudentiæ, falsiloquium dirigatur,
 homines qui actiones suas ad normam juris naturalis
 instituere cupiunt, hoc non tantum salva veracitatis
 virtute admittere, eoque interdum uti posse queant,
 sed & debeant, ex obligatione Juris N. Ut autem illi,
 qui veritatem & virtutem serio attinent, sciant, an &
 quatenus salva conscientia hoc facere possint ac debeant,
 ita ut estimationem ex amore veritatis acquisitam
 non

non lèdant; certas regulas ac cautelas hic præscribere,
eorumque in J. N. fundamentum eruere æquum & pi-
um esse putamus.

III.

Initio vero paucis exponendum erit, quantum suo
ambitu complectatur veritas, ut deinde ex natura op-
positorum intelligatur, quousque extendatur mendaci-
um & falsiloquium. Hic nobis optime viam præivit.
Cicero, qui *L. 2. de Orat. C. 15.* de officio Historici sic disserit: *Prima historia Lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat neque suspicio gratia sit in scribendo neque simulatio.* Ideo Dn. Leibnitius in *pref. ad cod. Juris Gent. diplomat.* ait, historias, quæ tantum nihil falsi di-
cunt, uno pede claudicare. Hinc discimus ad verita-
tem non sufficere, ut omnia, quæ quis loquitur, vera
sint, sed et ut nihil veri in substrata materia omittat.
Est itaque omnino species mendacii seu falsiloquii dis-
simulare veritatem, quæ ad præsentis negotii vel pro-
bationem vel illustrationem aliquo modo facit. Tali
mendaciorum genere usus est ipse pater mendacii,
quando Christum tentando, allegavit verba Psalmistæ:
Mandavit Angelis suis, ut te portent supra manus suas, &c.
Ita quoque mendacium proprie dictum illi commit-
tunt, qui aliorum auctorum verba mutilata in suis scri-
ptis allegant, ut eò facilius ipsis errores imputare eosq;
ex verbis allegatis promptius extorquere, & sic incau-
tos lectors feliciter decipere queant: quod vitium
inter literatos admodum frequens esse, quotidiana
quemvis docebit experientia, ceu hostes Lutheri & Lu-
theranorum suo abunde comprobant exemplo.

A 2

IV.

IV.

Porro & hoc species mendacii est, quando quis tacet, quum loqui debet, & sic per taciturnitatem suam aliorum commoda, quæ loquendo promovere potuit, impedit, vel plane jura alterius, quæ per loquela suam conservare potuit ac debuit, lædi patitur. Nam si e.g. Titius innocens in puncto furti accusaretur, & falsis testimoniiis convictus condemnaretur, & Cajus innocentiae illius conscius, interrogatus, num de hac re ipsi quippiam constaret? responderet, *nescio*, idem plane hoc foret, ac si affirmaret illum furti reum esse, cum suo testimonio eum a falso hoc crimine malitiose ipsi impacto liberare posset, turpe omnino mendacium omnibusque bonis detestandum committeret, in præcipuis enim quæ formale mendacii constituant requisitis convenit hæc veritatis dissimulatio cum mendacio. Primo in eo, quod eundem cum formalī mendacio producat effectum, læsionem videlicet innocentis: secundo & hoc cum mendacio illius taciturnitas habet commune, quod proficiscatur ex malitia voluntatis, alterius damnum intendente. Adde, quod & hæc, quemadmodum mendacium, circa violationem veritatis versetur.

V.

Dispiciendum jam'porro erit, quænam sit distinctio inter mendacium & falsiloquium. Qui enim arbitrantur, hæc plane coincidere ac synonyma esse, toto cœlo a vero aberrant, & falluntur ipsimet, & alios fallunt, Differunt itaque primò ut genus & species. *Omne quidem mendacium, ceu recte Pufendorfius de J. N. & G. L. V. c. I. §. 9. Falsiloquium est, sed non omne falsiloquium mendacii*

daci nomine venire potest. Falsiloquium enim sumitur vel stricte, & sic contradistinguitur mendacio, vel late, & tum sub se comprehendit utrumque. Differunt vero falsiloquium stricte sumptum & mendacium porro, intentione & fine agentis. Ille qui facto coloratoque utitur sermone, ea intentione, ut alteri quacunque ratione noceat, ipseque lucretur cum alterius damno; ille utique turpe committit mendacium, quod ideo a Pufendorfio. L. c. §. 8. sic describitur: *Mendacium est nbi signa & verba aliam preferunt sententiam animi nostri, quam quæ re vera erat, cum tamen hanc ipsam is, ad quem signa illa diriguntur, intelligendi & judicandi jus haberet, & nobis obligatio incumberet faciendi, ut ille nostram sententiam intelligeret.* Etenim si communem sermonis naturam considemus, intelligimus ex hac facile, quod non nobis loquamur, sed aliis, quibuscum negotium intercedit, & quod ideo loquamur ut oratione nostra, quæ animi interpres est, aliis mentem nostram communicemus. Si itaque illius, cum quo loquimur, interest scire, quid in animo nostro foveremus, idque jure a nobis postulare potest, non possumus absque insigni læsione præceptorum *JUSTI* ea quæ scimus, silentio involvere, vel aliquid ab animi nostri sententia discrepans loqui.

VI.

Contra si procul absit intentio lœdendi, nec ille, cum quo sermones miscemus, jus quæsitum ex pacto vel aliunde habuerit animi nostri sensa intelligendi, & in tali occasione verbis, ad nostrum potius quam alterius arbitrium simulando & dissimulando utimur, dicitur hoc falsiloquium; quod tantum abest, ut sit vitium e

A 3

vita

vita humana exterminandum, quemadmodum mendacium de quo §. præcedenti, ut potius aliquando, si secundum regulas prudentiae recte instituatur, honesto virtutis nomine sit condecorandum. Cum autem dicimus falsiloquium non intendere læsionem aliorum, illicitam intelligimus læsionem, quam a licita probe distinctam volumus cum Grotio de Jure B. & P. libr. 3. c. i. §. 8. nam si e. g. hostis hostem stratagemate deciperet, eumque hoc furto penitus destruat hoc (ut Grotii verbis utar) *licitum nocumentum effe ponimus ex belli justitia*, nam hosti in hostem infinita licent.

VII.

Equidem & nos optaremus cum Cicerone Offic. 3. ut ea esset humanæ sortis conditio, *ut ex vita humana sublata sit omnis simulatio & disimulatio*. Adeoque ut cum Pu-fendorfio loquar, *ut eo essent ingenio homines, ut aliorum bonis, nemo invideret aut insidias tenderet, neve aliorum simplicitate ad fraudem illis intentandam abuteretur, aut sanerationi obniteretur, sed cum pravos apud homines in fraudem pateat, qui omnia sua aperte praesceret, & plurimi inanibus, quam solidis artibus duci gaudent, igitur non prius inoxias simulandi & disimulandi artes ex humana societate proscribemus, quam omnis malitia & recordia hominum fuerit in probitatem & sapientiam mutata*. Tam miserandus est præsens hominum status, ut non tantum in aliorum damnum, sed & in propriam interdum perniciem abuterentur veritate, si hæc ipsis nuda exponeretur. Esset instar gladii in manu furiosi. Paucissimi enim apti sunt ad ferendam in omnibus veritatem, Stultorum namque plena sunt omnia, & hi nulla re magis offenduntur, quam veritate,

te, unde veriverbum; *Veritas odium parit.* Obligantur tamen sapientes, insipientes (quales omnes sunt ex natura) emendare, & ex deviis stultitiae in viam sapientiae reducere, quod cum successu & ex voto commode facere nequeunt, nisi saepius utantur falsiloquio, simulatione & dissimulatione, quod opus non esset, si omnes essent sapientes. Rebus autem sic stantibus, recte cum *Quintiliano l. ii. 18.* dicimus communem aliquando exigere utilitatem, ut falsa defendantur.

VIII.

Ut itaque in ostendenda necessitate falsiloquii, simulationis ac dissimulationis ab emendatione hominum morali capiamus initium; Sciendum est, quod illi, qui vitiis plane immersi sunt, & ebullientium affectuum suorum astu in transversum continuo rapiuntur, hisque habenas laxant, admodum difficilis appareat via virtutis primum ingredientibus. Itaque si his stultitiae supra aures immersis nuda veritas propinaretur, tantum abest, ut ad meliorem se frugem reciperent, veritatemque tanquam bonam amplecterentur, ut potius haec illos penitus deterreret, & ex stultis summe dementes faceret. Errant igitur, qui dum vitiosos homines virtuosos facere cupiunt, multa initio de difficultate virtuosae vitae, de incommodis multis vitam virtuosam concomitantibus differunt; ineptam fabulam socraticam de Hercule in bivio proponunt, & commendant toleratiā ignominiæ, dolorum, jejunii & paupertatis, protut infeliciter tentarunt papicolæ votis suis monasticis. Ista talibus sunt proponenda hominibus, qui dulcedinem vitae virtuosæ jam gustarunt, adeoque talibus calamis-

lamitatibus a virtute colenda ac sectanda se deterreri non amplius patiuntur, cum has, delectatione vitae sapientis multo inferiores esse intelligent. Qui vero in via sapientiae adhuc infantes sunt, illis tales adversitates erunt dissimulaudae, & sub amibili involucro ad palatum insipientium aptato, excitandum in illis est initio desiderium sapientiae, quod facillime fieri potest, si filios medicorum imitando, qui medicinam suam splendido sub fuso ægrotis insinuant, prærogativam & suavitatem vitae virtuosæ extollamus, ostendendo illam omnium rerum sufficientia abundare, cum summa animi delectatione transfigi, & magnam laudem & honorem mereri, quod etiam sine præjudicio veritatis de vita sapientum dicere possumus. Et sic dolo optimo præcipua hominum vitia, *ambitionem, avaritiam & voluptatem* feliciter oppugnabimus. Existimo magnum sapientiae impedimentum esse, quod hæc methodus, quam præscribit sana ratio, sæpius ab illis, quibus cura formandi juniorum mores commissa est, vel sæpius intermissa, vel contraria, admissa fuerit. Rectissime itaque *Pindarus Nem. od. 5. non omnis veritas exacta patefaciens faciem utilis est, sed scire tacere est sepe sapientissimum inter homines.* Quapropter etiam Melander apud *Barlaajum in Argente*, tanquam præcipuam prudentiae partem istud filiae sue aliquando regnaturæ commendat: *DISCE SILERE.*

IX.

Pergimus jam ulterius, ostensuri falsiloquium in vita civili non tantum esse licitum atque permisum, sed quoque præceptum, idque tam propter infirmitatem hominum naturalem, quam moralem. Illam quod con-

concernit, experientiâ, certissima rerum Magistrâ edo-
cti scimus, quod affectus, qui mirum quantum contri-
buunt ad sanitatem hominis conservandam, & amissâ
restituendam, variis verborum, simulationis & dissimu-
lationis artibus varie possint dirigi, adeoque corporis
machinam prout diversimode orationis inclinatione ex-
citantur alterare. Unde quivis facile intelligit oratio-
nem nostram in affectibus & passionibus excitandis,
componendis ac dirigendis ita esse instituendam, ut sa-
nitatem, hujusque conservationem, ac amissâ restitu-
tionem promoveat, & quicquid hanc turbare vel aliquo
modo lâdere potest impeditat, quod neutiquam fieri po-
test, si omni falsiloquio, simulatione ac dissimulatione
procul faceſſere juffis, puram veritatem ſemper omni-
que occaſione proſiteremur. Quod ut eo clarius pa-
tēſcat, caſum quendam facile dabilem formabimus. Et
quia ſequior ſexus facilius talibus paſſionum motibus
abripiſtur lâditurque propter majorem infirmitatem; ſit
e.g. mulier, quæ ſincero & intensiſſimo amore conju-
gali maritum ſuum compleſtitur. Hic vero peregre
profectus in morbum incidit & moritur, ſi uxori de va-
letudine mariti ſciscitanti, tertius e vestigio mortem
eius denunciaret, iſta, ſubita affectuum & präcipue
triftiæ alteratione commota, in gravem poſſet incide-
re morbum, immo mortis periculum incurrere. Ita
quoque fieri poſſet, ſi quis tertium, triftiæ affectu cor-
reptum ſubita & inopinata perfunderet lâtitia. Ex
tam violenta namque commotione ſangvinis, facile rum-
puntur organa, ut anima tam inopinata ſua felicitate
infelix, corpus deferrere neceſſum habeat. In tali caſu

B

exit-

existimo tertium omnino teneri non tantum veritatem dissimulare, sed & saluberrimo falsiloquio, eum, cuius interest decipere, & postmodum sensim gaudium vel tristitiam insinuare. Huc pertinet illud *Eusfratii Metropolite*: *Fieri potest, ut quis recte consultans hoc ipsum consultat, quo pacto de industria mentiatur, aut hosti, ut eum fallat, aut amico, ut eum à malo liberet.*

X.

Nec quenquam latere potest, quanta sit vis affectuum in curatione morborum, ita ut s̄epissime plus operentur illi, quam ipsa, quæ ægroto propinatur, medicina, si a perito medico, illos suavi oratione excitare gnaro, dirigantur. Potest itaque Medicus, immo debet ad commovendos tales affectus, qui corporis sanitati conducent, tempestivo falsiloquio patientem decipere ipsi persuadendo, talem huic, quod porrigitur, poculo medendi vim inesse, ut omnem ex sanguine materiam peccantem dispellere, ægritudinem removere & ægrotum pristinæ sanitati restituere valeat, quamvis in se nullas contineat partes morbo huic expellendo idoneas, si modo innoxium fuerit. Observamus enim, quod propter intimum unionis vinculum, quod animæ cum corpore intercedit, ad certos motus animi certi sequantur motus corporis & vice versa. conf. *Arnold Wensfeld in Georgica animæ & vite.* Tenetur itaque Medicus in ægroto confidentiam ac talem animi dispositionem etiam falsiloquio excitare, quæ valetudini restituendæ inservit, cum sic pia fraude proximo inservire possit, absque ullius læsione. Hoc spectasse videtur *Plato*, qui referente *Grotio l. 5. c. 1. §. 15.* medicis facultatem conceperit falsa dicere.

XI.

XI.

De affectibus vero generaliter observandum, quod illi omnes, qui proficiscuntur ex amore, sanitati conservandæ, & amissione restituendæ, plus, quam vulgo creditur, conferant: sicut illi vice versa, qui ex odio originem trahunt, sanitati nimium quantum officiunt. Nam in illis expansio, in his vero contractio sanguinis oritur, qua de re audiendus omnino est Cl. Buddeus Phil. Praet. Part. I. c. 2. Sect. 1. §. 53. p. m. 49. Denique, inquit, & dilatatio quedam & expansio organorum versus grata & jucunda, contractio autem & fuga ab objectis ingratia & molestia, interventu spirituum animalium & sanguinis facta ad passionum effectus jure meritoq. refertur. Sanguis enim est basis ac fundamentum vitae, adeoque cum sic dilatatione sua membra & organa fovent, non potest non illa a corruptione conservare & corrupta redintegrare. Hinc sequitur, quod omnes homines in vita civili ex Jure N. obligentur ita suos instituere sermones, ut illos tales sequantur affectus, qui illos in statu sanitatis conservant, & vice versa, ut illi coerceantur, qui hunc statum turbant. Et quia propter humani generis fragilitatem, talis finis semper obtineri non posset, si omni temporis momento veritatem profliteremur, clarum est, non tantum licitum, sed quoque in Jure N. præceptum esse falloquium, quatenus sine ullius injuria ac læsione adhibetur, Quæ hactenus differuimus, majorem fœnerabuntur lucem ex sequenti discursu.

XII.

Progradimur itaque ad infirmitatem hominum, moralem considerandam, propter quam veritatem non

sem-

per perferre possunt, sed eadem sæpius in sui aliorumque perniciem abutuntur, quapropter veritates aliquas omnino noxias esse asseverare haud dubitamus. Equidem veritas in se spectata neque bona neque mala est, sed res indifferens, ratione vero applicationis propter usum vel abusum dicitur bona vel mala. Etenim si ea esset cordis humani dispositio, ut agnito vero & bono. Statim ejus normam ductumque unice sequeretur, sine ullo declinandi periculo nulla veritas esset noxia. Egregia sunt quæ hoc super negotio differit exascitati iudicij Philosophus Batavorum Clericus in tract. de l' *incredulitate* Part. I. cap. I. p. 9. quo B. L. remittimus. Cum vero ea sit indoles generis humani, ut propter innatas sibi pravas inclinationes non semper sequantur ea homines quæ ipsi pro veris & vere bonis agnoscunt, sed sæpius scientes & volentes ruant in sui perniciem; dissimulatione veritatis, quæ perversos & immorigeros illorum affectus irritare potest & solet, præscindenda est his irritationibus via, in primis cum & tales reperiuntur homines, qui in via sapientiæ constituti, libenter exæstuantes ac ebullientes animi sui affectus compescerent, nisi propter virium imbecillitatem illis succumbere necesse sum ipsis foret. Nemo enim absolutus passionum suarum dominans esse potest, nisi in supremo sapientiæ gradu constitutus, qualis non datur in rerum natura, sed in idea Platonis vel utopia Mori, ubi etiam quærendus erit sapiens stoicorum.

XIII.

Ut res clarior evadat, descendemus ad speciationa, & variis exemplis illustrabimus ac comprobabimus verita-

ritatem illorum, quæ hactenus differuimus. Initium faciemus a junioribus. Quia in juventute præcipue regnat temperamentum sanguineum, & juvenes ideo voluptati admodum dediti sunt, ideo quam utilis ac salutaris his est rerum venerearum ignorantia, tam exitiosa ac perniciosa illis est talium rerum præmatura cognitio. Omnem itaque curam ac operam adhibere debent illi, qui juvenum moribus formandis sunt destinati, ut tales veritates, quæ alias in se bonæ ac necessariæ sunt, & propterea cum usu fructuque sciri possunt ac debent ab adultioribus, ab auribus oculisque adolescentium abscondantur ac dissimulentur, immo debent iidem, si hi infausta aliqua occasione aliquid viderint audirentque, de quo ad satiandam intempestivam suam curiositatem melius informari cupiunt, falsa pro veris narrare, & quidem talia, quæ affectus eorum suppressimere teroremque ae detestationem incutere possunt, & sic in felicissima ignorantia ac simplicitate eos quam diutissime detinere, quæ quam sit salutaris illis hominibus, qui veritatibus abutuntur potius, quam utuntur, optimè docet *Tacitus* in tract. de moribus Germanorum, ubi dicit, apud hos plus valere bonos mores, quam apud Romanos bonas leges, idque præcipue ideo, quod ignorantia mali peccare omittant. Unde intelligimus, quo jure vel potius fastu Romani præter omne prorsus meritum titulum gentium moratorum sibi arrogarint, cum tamen luxuria & pervercis suis moribus primo Galliam & deinde totam fere Europam infecerint, & Germanos aliquosque in sancta simplicitate viventes, odioso barbarorum nomine deformarint.

Ex eodem hoc fundamento, quod in præcedenti
 §. posuimus, reprehendit quoque Pufendorfius in suo
 Monzambano cap. VII. §. 3. p. m. 355. seqq. ubi agit de
 viribus & morbis imperii Germanici, illos, qui intempesti-
 vas instituant peregrinationes, ex quibus nihil aliud
 lucrantur, quam ut gradus scabiei venereæ cum jactu-
 ra temporis, sanitatis, & evacuatione marsupii, di-
 scant. Et quia ejus verba notatu sunt digna, illa hic re-
 censere non pigebit. Ita enim ille: *Etsi crassitum genii*
Teutonici conversatione exterorum temperari fors non inutile fu-
erit; Tamen merito ludibrium, an miserationem, inveniunt, qui
ex Italia nostra nil nisi delicias quasdam vitiorum Transalpinis
inustatorum, & formulas blasphemandi rariores domum repor-
tant. Neque vero Gallia plerosque peregrinatores alius instru-
ctos artibus dimittit, quam ut sordidius tuburcinari deinceps
norint, gradusque venereæ scabiei ex propriis ut plurimum ex-
perimentis recensere. Nonnullis tamen lucro habetur, Italianam
& Galliam vidisse, quos in patria tot per ambages ad imania ti-
tularius scholasticorum taret aspirare. Nam apud nos minori
cum pudore & sumtu domum licet reportare titulum Doctoratus
& inscitiam. Etsi apud istos quoque sat rudi ex ligno tales
Mercurii effigiantur. Hosce fructus sentire debent illi, qui
apud gentes (si Diis placet) moratores, uti vocari amant
Galli & Itali, ideo peregrinantur, ut ea discant, quæ igno-
rasse præstaret, & splendida eorum virtus sub morum,
honestatis ac civilitatis involucro venalia, multo redi-
mant ære. Ad laudati Pufendorfi verba, ita commen-
*tatur Thomasius: *Satis vivis coloribus virtus peregrinantium**
depingit autor, quatenus ea ex voluntate proveniunt. Sed quis

nota-

notavit vitia peregrinantium ex ambitione & avaritia ortas. Communiter qui de utilitate peregrinationum scripserunt, ea inter virtutes peregrinantium censent. Nam ista quidem *vitia* eminentium virtutum nomina ubique ad se rapuere. Quis vero peregrinationum fructus, inquisitionem genuine sapientia, & infucatarum virtutum atque admirationem divinae bonitatis & misericordia inculcat. Sed hoc *ως ενταξόδη*.

XV.

A Juventute ad virilem progredimur ætatem, in qua maxime sese exerit ambitio, propter quam homines varia ambiant munera & officia publica, & in illis constituti variis negotiis ac præclaris facinoribus aliis suam probare industriam satagunt. Sed cum singuli homines sibi proprium ac singulare forment de bono & malo judicium, ita ut quod huic bonum est, alteri malum audiat, non possunt non actiones alicujus varia variorum sustinere judicia, ita ut laudentur ab his, culpentur ab illis, cum primis cum nunquam ita sint absoluta, quin aliud semper ipsis adhæreat imperfectionis, quod ab aliis facilius cerni potest, quam à suo auctore, cum foris simus lynxes, & domi talpæ. Et quamvis communis mortalium fors, ac mutua charitas omnino suaderent, ut imbecillitates proximi, excusaremus potius, quam intempestivo zelo multum exaggeraremus, cum ipsis ab illis non simus immunes: tamen hoc magis erit optandum quam sperandum, donec homines hoc vitium una cum prava natura exuant, quod omnes esse facturos, temere exspectaremus, qui credimus nunquam talem in orbe beatum fore statum, ut omnes evadant sapientes, quemadmodum aliqui sibi imaginantur. Sed sicut

sicut ante nos stultorum plena fuerunt omnia, ita & post nostra tempora vix diminuentur.

XVI.

Hoc ita posito, nemo tam favorable sibi arrogare audebit privilegium, ut ipse cum suis actionibus apud omnes approbationem inveniat ac laudem, quin potius certo sibi persuadere debet, se suaque facta multis malorum vituperiis exprobrationibus ac convitiis exposta esse, quæ si omnia rescriret, multam animo ejus continuo procrearent inquietudinem ac anxietatem, nec non affectuum pugnam commoverent, unde & animi quies turbaretur, & corporis sanitas ladeatur; Itaque quantum ipsius interest talia nescire, tantum aliorum postulat officium, ut talia illum celent, immo sciscitanti, contrarium vero, & falsiloquium pro veritate referant, ut conservetur in statu quietis, nec irritetur cupido vindictæ, odium atque contemptus.

XVII.

Sed prævideo, aliquem talem mihi formare posse objectionem; Quia prava malorum de nobis nostrisque factis judicia, særissime conjuncta sunt cum machinationibus, quibus nostram impedire Fortunam, & damnum accelerare intendunt, ideo nostra maxime refert, inimicorum de nobis judicia ac consilia cognoscere, ut illa tempestive eludere queamus. Scio, illos, qui aliorum actiones maliitiose traducunt, nunquam esse amicos, særissime inimicos, his etiam talem inesse genium, ut, si ladeare possint, non intermittent; sed & hoc scio, multis magis deesse nocendi facultatem, quam voluntatem, de quibus dicere solemus, quod *vana sit sine viri-*

viribus ira. Sed fac, illos habere & facultatem & voluntatem nocendi; experientia tamen quotidiana nos condocet, quod multi aliis damnum intentando propriam sibi pararint perniciem, effoderunt foream aliis, in quam semetipos incauti præcipitarunt; multi dum propria industria, sollicita cura ac prudentia inimicorum retia eradere voluerint, propriis consiliis iis se magis irretierunt, quod factum non fuisset, si talium insidiarum ignari, quieti mansissent, quod variis comprobari posset exemplis, nisi B.L. de hac veritate ab experientia sufficienter convicto tedium movere vereremur.

XVIII.

Si hujus rei causam queras, expedita est responsio; Mundus regitur exigua sapientia (humana) præcipuum punctum absolvit sapientia divina, quæ ita subordinat causas secundas, ut insidiae ab inimicis structæ, in proprium caput redundant: uti exemplo suo comprobatur Alexandri Papæ VI filius *Cæsar Borgias*, qui cum auri sacra fame vexatus, Cardinales ad plures nefario ausu mittere intenderet, præparato ipsis veneno patri mortem, & sibi perpetuam ægritudinem paravit. Sic quotidie fieri videamus, quod DEUS homines generosa simplicitate excellentes majori cura protegat, quam, qui omnem se devorasse putant prudentiam; isti enim propria destituti prudentia, divinæ sapientiæ curam ac protectionem experiuntur, quæ machinationes inimicorum in propria derivat capita, unde dicere solemus: *Hominum stultitia, & divina providentia, gubernatur mundus.*

C

XIX.

XIX.

Hæc tamen non ita capi volumus, quasi omnem ex foro humano proscribereimus prudentiam; manet omnino huic suus usus suaque laus, si vera sit recteque adhibetur. Hoc tantummodo volumus, felices esse illos, qui hostium & inimicorum suorum de se judicia, consilia, machinationes quietè sèpius ignorant, cum sua forsan prudentia male applicata, plus sibi nocerent, quam hostium tela impedirent. Evidem dicere solemus: Tela prævisa minus nocent; sed solent aliquando etiam magis nocere, & quidem ideo quod prævisa sint, & de talibus casibus noster loquitur discursus.

XX.

Diximus in superioribus, in virili ætate maxime vires suas exferere ambitionem, hujus individuus comes est ira ac vindictæ cupiditas, quæ quantum sit vitium, vel exinde intelligitur, quod is, qui vindictæ privatæ cupiditate flagrat, intendat solumodo retributio nem & compensationem pro damno vel injuria sibi illata, quæ cum jam præterita sit, actio talis vindicatoria præteritum respicit, non futurum, & sic per consequens vindictam exercens agit sine fine; sed omnium bonorum consensu is pro stulto habetur qui agit sine fine, cum omnis actio suscipi debeat propter finem. Tantum, tamque inter mortales frequens vitium nulla melius ratione coërceri, nec melius amicitiam & concordiam inter homines redintegrari posse existimamis, quam per tempestivum faliloquium. Nam si e.g. fuerint duo inimici, qui occasioni inhiant mutuam exercendi vindictam, & ideo injuriosis coram tertio se invicem tradu-

traducunt verbis, dicti terisque, hic interrogatus ab uno, quid de se suus loquatur inimicus, si veritatem pandat, vitiosis ipsius passionibus ante flagrantibus oleum affundet easque ita irritabit, ut vindictam, quam animo fovet, quamque aliquamdiu adhuc distulisset, furiose in actum deducere intendat, & sic in perniciem & totalem saepe ruinam suum secum trahat hostem. En! in tempestivae veritatis effectum, quam ideo dissimulare tenetur tertius. Imo ut concordiam inter illos reducat, falsiloquio uti debet, uni referendo, alterum de illo omnia bona loqui immo ipsum, generosumq; cetera indolem ejus laudare, inimicitiam vero tanguam effecium communis humanae imbecillitatis excusare, quod tamen caute & secundum regulas prudentiae observatis circumstantiis erit propinquendum, ut fidem inveniat. Hac ratione si micam generositatis in animo possideat, ad saniora redibit consilia, cum nihil majorem animos aliorum sibi devinciendi vim habeat, quam humanitas ac mansuetudo, qua declaramus nos de illis omnia bene sentire, & potius commiseratione affici, quam ira vel odio excandescere, super infirmitatem illorum. Quod utinam observarent illi, qui dum viciosos emendare cupiunt homines, talibus verborum formulis, quae affectus magis stimulant, quam vitia supprimunt, in eos invelhunt,

XXI.

Pergeremus jam ad senectutem, cuius passio dominans plerumque esse solet avaritia, quam indiviso nexu sequuntur invidia, insidiositas, crudelitas, clandestinum vindictae studium, fraudulentia epichærecakia &c. In hominibus nempe naturales suas inclinationes

C 2

sequen-

sequentibus, & qui suarum passionum fœda sunt mancipia. Ostendendum etiam esset, quomodo ista vitia falsiloquio & optima fraude sèpius eludi ac supprimi possent, absque ullius læsione. Sed quia ex specimini- bus de ceteris passionibus supra exhibitis quivis facile proprio marte talem instituere potest calculum, ideo huic labori bona cum venia lectoris supersedere nos posse existimamus, qui ad fundamentum hujus discur- sus eruendum jam pedem promovere volumus.

XXII.

Quodcunque hic constitueris Juris N. fundamen- tum nobis perinde erit, sive cum *Pufendorfio* socialitatē, sive cum *Coccejo* divinam voluntatem, sive cum aliis felicitatem sive denique cum *Dn. Buddeo* tria Juris N. prin- cipia posueris, ex omnibus nostra sibi constabit Oratio. Generalis enim finis totius Philosophiae practicæ est, ut homines in hac vita, tranquilitatem internam & exter- nam obtinendo, felices vivere possint. Hoc intendit Ethica, quando ex principiis *boneti* officia hominis erga se ipsum inculcat, Politica quando regulas prudentiæ ex præceptis *deori* præscribit, Jus N. quando ex regu- lis *justi*, neminem lädere, cuique suum tribuere &c. jubet. Hi omnes Philosophiae Practicæ fines etiam per falsiloquium promoveri possunt, uti haec tenus in præcedentibus exposuimus. Est itaque præceptum Juris N. ut falsiloquio utamur, quotiescumque nostrum vel aliorum commodum promoveri potest sine ullius læsione, & quoties jus alterius läditur, si aliter facere- mus, qua in re præcipios præeuntes habemus moralistas, specialiter Pufendorfium. Talem igitur ex nostro dis- cursu

cursu formamus immotæ veritatis syllogismum: *Quicquid facit ad conservationem socialitatis & per consequens tranquillitatem hominum custodiendam ac promovendam, illud non tantum est licitum, sed etiam preceptum in J. N. Atqui falloquium hoc facit.* Ergo. Minorem hactenus variis exemplis comprobavimus, major probatur exinde, quod finis sit norma mediorum, ideo qualis est finis ex intentione agentis, quæ habet respectum ad legem, talia quoque esse debent media, si hic est bonus media non possunt esse mala.

XXIII.

Scio quidem, quod aliqui hic excipere soleant, afeverando, se casum dare posse, ubi quidem finis est bonus, sed media nihilominus mala & tamen non facienda esse mala ut eveniant bona. Hunc casum communiter petere solent a furore, quem corium furari dicunt, ut calceos facere possit pro egenis ac pauperibus. Hic, inquiunt, adest finis bonus, sed malum medium. Verum ego quidem persuaderi nequeo, tam stupidos in rerum natura dari homines, qui credunt, se opera charitatis hoc modo exercere posse, nec porro credo, tam simplicem dari hominem, qui sibi persuadere potest, talem casum esse dabilem. Certe si Sutor aliquis fur, coram judicio ita se excusaret, simplex admodum, ille esset Judex, qui ipsi fidem haberet, & non potius crederet, hunc esse prætextum, quo vitiosam suam intentionem, quæ lucrum respexit, tegere satagit. Si tanto flagraret amore proximo beneficiandi, neutquam furto ipsi opus esset, cum multis aliis charitatis officiis laudabilem animi sui propensionem declarare posset. Et

si in tam miserando se deprehenderit statu, ut nihil posse deat, quo egenis benefacere possit, ipse pro egeno ac paupere maxime habendus erit, qui eleemosynam querat potius, quam distribuat. Dicis: potest aliquis bono sed simplici animo bonum intendere finem, sed media adhibere mala, propter ignorantiam, qua non semper discernere potest inter bonum & malum, uti saepenumero fieri videmus. Resp. Concedo multos tales dari casus, sed talia media inepta dicenda erunt, cum non fuerint ad finem proportionata, secundum regulas prudenter, non vero mala, quia intentionaliter non peccant contra regulas justi.

XXIV.

Ut eo clarius pateat, falsiloquium non esse contra legem naturae, adeoque neque illicitum, sed potius, uti saepius diximus preceptum, observari volumus, nos heic duplicum statuere veritatem, *realem & verbalem*. Hae est convenientia verborum cum mente loquentis. Illa est convenientia omnium actionum, adeoque etiam signorum, quibus mentem nostram explicamus & precipue sermonis cum lege. Ex natura oppositorum, hinc quoque intelligitur, quod etiam veritati oppositum mendacium sit vel reale vel verbale. Hic consenserit nobiscum habemus sacram paginam, Ita enim divinae veritatis Praeco & gentium in fide Magister Eph. IV, 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Ita quoque de veritate reali opposito, mendacio actionum clare loquitur Johannes Apoc. XXI, 26. *sed non ingreditur in illam ullum immundum, & faciens abominationem & mendacium;* & por-

ro

ro cap. XXII, 15. *Foris sunt canes & incantatores & scortatores & homicida & idololatre, & NB. omnis, qui amat & facit mendacium.*

XXV.

Quia igitur supra ostendimus, eum, qui veritatem profitetur ad sui vel aliorum læsionem, peccare contra præceptum Juris N. & illum vicissim, qui falsiloquio uititur ad sui vel aliorum conservationem, agere secundum J. N. Facile ex dictis constare arbitror, veritatem verbalem sæpen numero pugnare cum veritate reali, & producere effectum mendacii realis. sicut vicissim, mendacium vel potius falsiloquium verbale producere potest effectum veritatis realis. Veritatem enim infirmis hominibus, qui eam ferre nequeunt, qui proponit, peccat contra præceptum Juris N. supra exhibitum, & sic committit mendacium actionis, quod sic dicitur, cum actio non convenit cum lege juxta s. præcedentem, sed illam transgreditur; prout iterum is qui pio falsiloquio infirmos in illorum conservationem decipit, veritatem facit realem, quia actio convenit cum lege. Et cum veritas realis quotiescumque pugnat cum veritate verbali, tanquam potior semper sit præferenda, & denominatio semper fieri debeat a potiori, dilucide constare existimo, tale falsiloquium veritatis titulum mereri, quatenus spectatur veritas realis, quæ in tali falsiloquio intenditur. Hinc quoque sponte sua fluit, quod illi, qui falsa loquuntur, ut alios cum illorum damno & suo lucro decipient, duplex committant mendacium, & verbale & reale.

XXVI.

XXVI.

Dicis, hac ratione subvertimus saniorum Philosophorum doctrinam, qui unanimi omnes consensu docent, veritatem esse unam, nos vero statuimus duplicem. Resp. Distinguimus inter veritatem metaphysicam; quae est affectio entis quatenus refertur ad existentiam seu qua res id est quod esse dicitur, & moralem. De illa loquuntur Philosophi, cum recte veritate in unam esse dicunt: de hac vero nos quae plerumque est virtus quamque ideo duplicem statuere possumus, propter imbecillitatem generi humano connatam.

XXVII.

Sedut hæc, quam hactenus proposuimus doctrina eo firmius sibi constet, aliorum, eruditione ac veritatis amore Clarissimorum virorum consensu eam corroborabimus. Juris civilis Doctores, cum ad titulum de dolo malo agunt, distinguunt inter dolum bonum & malum. Definiunt bonum, quod sit solertia seu prudens & callidum consilium, recte rationi conveniens adhibitum ad ius suum vel alienum obtinendum sine prejudicio tertii. Dicunt, hunc dolum nec esse contra ius divinum positivum, nec naturale nec civile. Ultimum probant ex I. i. §. 2. & 3. ff. de dolo malo. Ubi §. 2. ita JC. Ulpianus, postquam definivit dolum malum; *Labeo autem posse & sine simulatione id agi, ut quis circumveniatur: posse, & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari;* sicut faciunt, qui per ejusmodi dissimulationem deferviunt & tueruntur vel sua vel aliena & §. 3. Non fuit autem contentus prætor dolum dicere, sed adjectit malum: quoniam veteres dolum etiam dicebant bonum, & pro solertia hoc nomen accipiebant.

XXVIII.

XXVIII.

Grotius de Jure B. & P. I. §. 7. huic nostræ Thesi etiam suum addit calculum: *Notandum igitur, inquit, dolum alium in actu negativo, alium in actu positivo consistere. Dolus ceterum etiam ad ea, quæ in negativo actu consunt extendo, Labbeone auctore, qui ad dolum, sed non malum refert, ubi quis per dissimulationem tactus sua vel aliena. Haud dubie crude nimis a Cicerone dictum est: Ex omni vita simulationem dissimulationem tollendam. Nam cum nec quæ scias, nec quæ velis, omnia aperire aliis tenearis, sequitur ut dissimilare quedam apud quosdam i. e. tegere & occultare fas sit. Licit, inquit August: veritatem occultare prudenter aliqua dissimulatione. Et necessariam hanc omnino atque inevitabilem bis presertim, quibus Res publica commissa est non uno loco fateatur Cicero. Exemplum ad hanc rem insigne præbet Jeremia historia cap. 38. Is enim Propheta à Rege interrogatus de obſtione eventu apud Proceres, Regis postulatu, hoc ipsum prudenter occultat, aliam interim causam, nec falsam tamen, colloquie adferens. Et hoc quoque referri potest, quod Abrahamus Sarah, sororem, id est ex usitato tum loquendi more, propinquam consanguineam, vocat, matrimonium dissimulans. Hactenus Grotius de dissimulatione. De simulatione graviorem esse putat disputationem, interim eam licitam omnino esse pronunciat §. 14. ubi hæc leguntur verba: Quoties certum est, cum, ad quem sermo est, libertatis sue in judicando lesionem non agre latetur, imo gratias habiturum eo nomine, ob commodum aliquid quod inde assequitur, tunc quoque mendacium strictè dictum, id est, injuriosum, non committi, sicut furtum non perpetraret, qui ex presumpta domini voluntate rem ipsius exiguum consumeret, ut inde magnam eidem utilitatem*

D

para-

pararet. In his enim, qua adeo certa sunt, presumta voluntas pro expressa habetur. Volenti autem constat injuriam non fieri. Sic ergo videtur non peccare, qui aut agrotantem amicum persuasione non vera solatur, ut Arria Petum filio mortuo, qua historia est in Plinii epistolis: aut in prælio periclitanti ex falso nuntio animum addit, quo incitatus, victoriam & salutem sibi pariat, ac sic deceptus non capiatur, quemadmodum Lucretius loquitur.

XXIX.

In nostram quoque descendit sententiam antea laudatus Pufendorfius de J. N. & G. libr. 4. c. i. ubi in §. 7. Postquam illos exceperisset casus, in quibus ex contractu veritatem loqui tenemur, de simulatione ac dissimulazione sequentem in modum sobrie admodum philosophatur: Enimvero, cum non semper contingat, ut ex aliquo horum Capitum Cogitata mea alteri sint significanda; inde manifestum est, me non teneri omnia quibusvis indicare, qua ipse in animo volvo; sed illa duntaxat, ad que intelligenda isti jus habent plenum, at minus pleno, quod obligationi, que in me est, ex adversum respondeat: adeoque recte ea tacendo dissimulare posse, qua ut ex me sciat alter jus non habet, negat ad id aliqua obligatione ego teneor. Imo ubi alterius jus non luditur, mea autem vel alterius utilitas aliter procurari, aut salus servari nequit, licebit mibi ita adhibere signa, ut diversam plane animi mei sententiam, quam revera est, exprimant. Cum enim conventio illa de adhibendis certo modo signis, respiciat ad alias obligations, quibus explendis signa illa inseruant: igitur ubi iste ceſſaverint, nulla adparet ratio, quare non alio modo signa illa usurpare queam, si nemini injuriam faciam, & commodiore via mibi, aut alio profpicere non possum.

XXX.

XXX.

Nec defuerunt ex veteribus Theologis pariter ac Philosophis, magni nominis viri, qui ab hac nostra parte steterunt, quos ita recenset *Grotius* Lib. III. Cap. I. §. 9. p. 478. inquiens: *Neg. dec̄ in alteram quoque partem (simulacionem nempe & falsiloquentiam esse licitam) autoritas: existant Origenis, Clementis, Tertulliani, Lactantii, Chrysostomi, Hieronymi, Cassiani, imo pene omnium, ut ipse fatetur Augustinus, ita dissententes, ut tamen magnam questionem, latēbrosām tractationem, disputationem inter doctos alternantem (hac enim omnia ipsius verba sunt) agnoscat. Inter Philosophos aperte hinc stant Socrates & discipuli eius, Plato, Xenophon, & alicubi Cicero, &, si Plutarcho ac Quintiliano credimus, Stoici, qui inter sapientia doses ponunt mentiri ubi & quomodo oportet: neque videatur dissentire aliquot in locis Aristoteles, cuius illud nādī autē quod diximus exponi potest communiter, sive re spectata se postis circumstantiis.*

XXXI,

Postquam sic Thesin nostram rationibus non minus, quam Magnorum Virorum autoritatibus stabili-
vimus, restat ut eam obsignemus exemplis duorum lau-
datorum hominum, in quos nulla cadit reprehensionis
nota. Primum inculpatæ falsiloquentiæ exemplum
habemus in *Josepbo*, qui Aegypti Proprinceps a Pharaone
constitutus, fratres suos primum explorationis, mox
furti criminis reos postulat, cum tamen intra animum
dulcissimo fraternitatis amore illos completeretur, ceu
docuit eventus. *Salomon*, ipso falsiloquio divinae sapien-
tiæ sibi cœlitus concessæ specimen exhibuit, cum mul-
lierum de partu contendentium, litem decisurus, infan-

D 2

tem

tem gladio secari jussit, cum tamen nihil minus intenderet. Plura enumerare exempla non vacat, & possunt hæc sufficere.

XXXII.

His ita positis, puto observationem, quam exhibit Arcana Politica Mazarini sub fin. p. m. 88. sub tit. *Simula & dissimula*: Si sanè quis eam interpretetur, & caute instituantur, suum omnino usum præstare in vita civili. Ita sonant verba: *Omnium Te ostende amicum, cum illis conversare, a quibus abborres, ut sic cautelam quoque discas. Irans omni possibili modo preme. Plus una illa te dissimilabit, quam multæ virtutes commendabunt. Semper hoc cura, ut nullus sciat, quid de hac re judices, quid scias, quid velis, quid cures, quid fugias. Virtutes non expedit nimis abscondere, nec sacra longiora incusare ne videaris indevotus. Etiam si duriori modo aliquid possis obtinere, cum non adhibe.*

XXXIII.

Ut uno saltem exemplo, idque communiori, ostendamus, simulationem ac dissimulatiouem in vita civili proficiam ac necessariam esse, adscribemus hic verba Pufendorfii, L. IV. c. I. §. 12. p. m. 401. ubi inquit: *Nihil frequentius in vita communi, quam discessum simulare, ut constet, gratique simus futuri hospites, an minus, nam non enixe regemur, serio nobis est propositum abire. Unde discimus, tritum istud, quo dicere solemus: Complimenta (ignosce Ciceron) sunt completa mendacia, non semper in malam partem esse accipendum. Ejusmodi enim ceremoniis & verbis ad simulationem compositis, explorare debemus aliorum de nobis mentem, quam scire fæpe nostra, magno pere interest, ne gratiam & favorem, quem ambimus,*

mus, tædiosa nostra mora amittamus. Interim de fal-
siloquio in genere observari volumus, quod quamvis
eo uti, utile & quandoque necessarium sit, ab eo tamen
loquendo, nisi in majoris momenti negotiis, ut nobis
temperemus, suadent præcepta prudentiæ. Nam qui
justo sæpius, falsiloquio uti deprehenditur, quamvis eo
neminem lædat, is tamen fidem suam omittit, quemad-
modum alicubi loquitur in fabula *Phedrus*: *Qui semel im-
probo facinore fidem amist, ipse postea non creditur etiam si verum
dicit.* Quo ipso etiam aliquando veritatem loquendo ali-
os lædere, eosque in illorum damnum decipere potest.
Quod variis exemplis exponit Pufend. l. c. §. 9. p. m. 396.
ubi ait: *His uti nemo facile credit, si vel maxime ve-
lint vera serio proferre: ita iidem aliorum dissidentia
ad eos decipiendos abuti possunt, ut dum istos semper
sui similes putant, contraria illis, que proferuntur
credendo in fraudem inducantur.* Sic quod est in fabu-
lis, puer cum sape rusticis filio clamore illuisset, tan-
dem ubi vere lupus adesset, nequidquam eorum auxilium
contra hunc excitavit. Eaque re in vicem strate-
gematis usus est Agesilaus. Cum enim non sit imperato-
rium, aperte denunciare quid proposueris, adeoque
hostes non soleant credere, nimis securè pronunciantur;
ea ratione astute imposuit iste Satrapæ Persico, ut co-
pias suas in diversam regionem adduceret, quam quo
Agesilaus iturum se sparsérat. *Xenophon rer. Græc. I. IV.*
& Cornel. *Nepos in Agesl. c. 3.* Huc etiam pertinet astu-
tia veteratoris apud Terentium Heanton. act. 4. sc. 3.

XXXIV.

Jam ultimo loco prolixè ostendendum foret, quomo^d hanc nostram, de falsiloquentia doctrinam solidis fundamentis superstructam omnium facultatum cultores ad suos applicare possent ac deberent usus; sed quia ad portum pergimus, breviter nos expediemus. Theologos quod attinet, an & quatenus hi falsiloquio sibi inservire queant, hic demonstrare non decet, quin potius hoc remittimus ad illos, quorum est prudentiam Ecclesiasticam ex sacris literis exponere, aliisque ad eam viam pandere. Ad JCtos pergimus, qui quidem quatenus considerantur ut docentes, ex speciali vel expressa vel tacita conventione obligantur ad omnia illa fideliter expōnenda, quae ad materiæ propositæ dilucidationem & explicationem pertinent, qua de re Pufendorfius l.c. §. 7. inquit: *Ad hoc alia obligatione opus est, que provenit vel ex peculiari pacto, vel ex communi precepto legis naturalis, vel denique ex presentis negotii natura, cui contrahendo sermo adhibetur. Sic si quem informandum suscepero, ex contractu locati conducti teneor, ipsi aperire, que ad eam artem spectant. Sic si quem misero ad explorandum certa rei statum, is ex pacto tenetur indicare omnia, que super ea re ipsi fuerint comperta.* Si vero in judiciis judices agant, tenentur saepe falsiloquia adhibere, ad veritatem & justitiam causæ inter litigantes agitatæ, eo felicius investigandam, vel delinquentes de crimine commisso convincendos, cuius speciosum refert exemplum Barclajus in Argenide L. II. p. m. 173, quod sic ibi describitur: *Eurymedes ad custodiā pervenit, in qua servabatur Eriſabenēs; & jam à limine (ut Cleobulus recte monstraverat) simulatis luctibus ardens;* Tandem, inquit

inquit, de Poliarcho triumphasti, Eriſthenes. Periit armilla contactu, quam letalibus succis imbueras. Num tu vero, quod Oloodemus facit, ultro in gloriam duces, quod operam facinori tanto prebueris? Ad bac Eriſthenes tanquam subito fluctu percussus, quid loqueretur non habuit. Audiebat, extinctum Poliarcbum, a quo ejus ſpes nequaquam divertebat. Jam vero conſcientia pulsabatur ad crimea objectum. Et quid præterea diſimularet, ſi Oloodemus (ita enim finxerat Eurymedes) jam confeſſus veneficium erat? Ne prolixiori conſilio aut recomponendo animo tempus dabatur. Ergo, ut in perditis rebus, restare putavit ne languedine cunctaretur; aut, fruſtra negato facinore, videretur censuſſe pudendum, quod nolleſt conſiteri. Urgenti itaque Eurymedi, bene eſt, retulit. De me quod placebit, fatuſe deliberent. Satis eſt gaudii, quod poſt Poliarcbum Sicilia boſtem vixi. Tum ſolterter Eurymedes, tanquam de re nota agens, ſeſe penetrabat in eorum conſilia. Ad extreſum, Lycogenis perfidiā objecit; qui literis ad Poliarcbum in ſui flagitiū infamiam ſubſtituebat innoxiū Regem; Et Eriſthene fallaciam levi riſu conſidente, Eurymedes ad Regem ab eo digreditur, nec ſine borrore quid ille ſi fassus offendit; Reſtare, ut Oloodemus pari iudicio ſe damnet.

XXXV.

Quod Medici (ut verbis utar Clementis Alexandri) mendacio pro remedio uti multoties debeant ſupra §. X. ſufficienter, ut puto, a nobis probatum eſt, in quo nobiscum amice conſpirat Maximus Tyrius quando dicit: *Et Medicus agrotum & Imperator exercitum & Gubernator nautas decipit: nec quicquam in hoc malis eſt.* Bonum enim, vero, neceſſario erit melius, cum hoc in verbis cito per-euntibus, & aliquando nocentibus illud vero in re diu permanentē & ſanitatem procurante conſistat.

XXXVI.

XXXVI.

Politicos quod concernit, horum prora pupisque est simulatio & dissimulatio. De dissimulationis necessitate loquitur *Curtius* quando ait: *Nec magnares ab eo susineri potest, cui tacere grave est, quod homini facillimum voluit esse natura, unde Grotius*, cuius verba antea allegavimus & necessariam, ait, *banc omnino ac inevitabilem his presertim, quibus res publica commissa est, non uno loco satetur ipse Cicero*. Simulationis exemplum, quod Politici imitari debent, nobis præbet *Barclajus* in *Argenid. L. II. p. m. 137.* inquiens *Timonidis in Italiam iter ignorari non poterat, ne augeretur dissimulatione suspicio, spargere apud suos, Regre auctore, capit, se Italiam Africamque visurum vactionem impetrassè à Regia. Juvenis erat, & commodum accidit, quod pridem transmarinæ peregrinationis studio ictus, æqualibus suis ea vota jaclaverat*. Nec tamen negamus Politicos quamplurimos majorem sibi, quam par est, simulandi dissimulandique licentiam tanquam sibi propriam arrogare, quam ex nostro foro penitus relegatam volumus.

XXXVII.

Historicis, nullam concedimus licentiam simulandi vel dissimulandi. Hi enim res gestas, ut gestæ sunt, cum omnibus suis circumstantiis fideliter recensere tenentur. Nam ex illis non tantum varios mores & inclinations hominum discere debemus, ut illorum virtutis evitemus virtutesque æmulemur. Sed præcipue ex historia prudentiam acquirere debemus. Quia enim ad hanc propria cuiusvis experientia non est sufficiens, alio-

aliorum in subsidium vocare debemus, quam nobis tradunt historiæ, unde *Sulpitius* (sub quo nomine latet celeberrimus *Kulpisius*) in dissert. de studio juris publ. p. 76. *Sanc.*, inquit, *Comineus non tam lectione quam tractatione rerum spectatus posse aliquem in historia paucis mensibus plus discere, quam plures senes si congerant experientiam, profiteri non dubitavit historiarum secundo.* Si autem historias cum fructu bonoque successu legere velimus, diligenter semper inquirere debemus in finem ac scopum actionis susceptæ, quem sibi proposuit persona in *Theatrum* produc̄ta. Deinceps examinanda erunt media adhibita, num secundum circumstantias loci, temporis ac personarum, ad hunc finem obtinendum fuerint proportionata. Porro quod si intentione ac fine proposito frustrata fuerit, attenta circumspectione dispiciendum erit, in quo constiterit nævus, & quomodo si illum evitasset, voti sui compos facta fuisse, ut multa alia jam præteream, quæ ad historiarum lectionem ut cum fructu institutur requiriuntur, cum tales hic regulas tradere nostri jam non sit instituti. Sed nisi fidelerit absque omni mendacio, simulatione ac dissimulatione conscripta fuerit historia, usus, quæ exinde in lecturos redundare debet, tam feliciter obtineri nequit; quod quia prolixe ostendere non vacat, generalem solummodo hanc suppeditamus rationem, quod in rebus cognoscendis ac dijudicandis major fructus & etiam compendiosiori via semper sentitur ex veritate quam ex falsitate. Taceo quod ex circumstantiis historicis controversiæ illustrium sœpius

sint dirimendæ; & jura Principum deducenda, quod ut recte fieri possit historia debet esse vera.

XXXVIII.

Sed cum a scriptoribus, qui historias publicas vel arcana ut sunt *Anecdota Procopii*, *les anecdotes de Florence*, *les anecdotes de Pologne* composuerunt, lucique publicæ exposuerunt nobis polliceri non possumus tam exactam omnibusque numeris absolutam sinceritatem, propter rationes quas heic exponere longum foret, quod etiam esset extra instituti nostri rationem; ideo, qui cum emolumento aliquo historias legere cupit, regulis quibusdam generalibus, ut & judicio instructus sit oportet, quo possit secernere verum a falso. Unde falsum esse intelligimus ad studium historicum recte institendum, magis requiri memoriam quam judicium, quemadmodum vulgo creditur. Et quia historici, ut diximus, raro tanto veritatis amore ducuntur, ut res gestas prout gestæ sunt, secundum omnes circumstantias sincere referant, sed sàpissime ex amore vel odio prout interesse passionum illorum suadet, dispensent mortalibus famam, adeoque apud præsentes & posteros multum valeant; sequitur quod illi contra omnem agant prudentiam, qui illos vel lacestant vel indigne tractant, & non potius variis modis demulcent, eorumque sibi conciliant favorem, cum illorum ope immortalē nominis gloriam sibi parare possent, quemadmodum fecerunt decantati illi Gallorum Politici & Cardinales *Richelieu* & *Mazarin*, qui in prudentia politi-

ca

ca similes, omnino multos inveniunt, sed qui, cum
hoc politicum præceptum negligerent, non tantam
famam sibi circumdederunt.

XXXIX.

Oratoribus ac Panegyristis præcipue, majorem
hic licentiam indulgemus. Illorum enim finis ac sco-
pus est, laudes aliorum ita cantare, ut existimationem,
ad mirationem ac æmulationem in aliis excitent. To-
lerare haque debemus, quod hi multa ad laudem nihil
scientia, dissimulent, & umbras perfectionum humana-
rum, extollant. Quamobrem vitio non caret illud su-
perstitione plebis dicterium: Leichen-Predigten sind Lü-
gen-Predigten. Possunt enim pie defuncti suo quo-
dam jure a nobis exigere, ut nævos illorum pallio cha-
ritatis tegamus, & virtutes illorum deprædicemus; Est
enim hoc innoxium mendacii genus, adeoque excusan-
dum. Præterea virtutes proponuntur ad imitationem,
non via. Interim tamen modum hic teneri volumus,
medio namque turissime itur,

LX.

Idem quoque sentiendum erit de Comicis, delecta-
tionem intendunt hi, quam sine deceptione aliqua vix
assequerentur. De Pictoribus difficultor est inspectio,
an nempe hi possint semper formositatem justo majo-
rem impune mentiri & nævos dissimulare. Memini
me alicubi leguisse exemplum de pictore quodam, qui
Monoculi effigiem in tabulam translaturus, quam hic
asparuit suæ cuius nuptias ambiret, transmitteret. Pictor
E 2 pia,

pia, ut putabat, fraude usus, dimidiā faciem, illam nempe quæ integrum habuit oculum depinxit. Nota quoque est historia de Henrico VIII. Rege Angliæ, qui novam ducturus conjugem imagine ejus splendida ac formosa, ut erat voluptuosus, decipiebatur; sed postmodum deprehendens copiam non concordare cum originali, eandem repudiavit. An itaque talis fraus sponsalia celebrata iterum dissolvat, dispiciant Jcti,
ad quos hunc casum remittimus.

S. D. G.

ERRATA EXTANTIORA.

p. 1. liv. 14. locutum l. locutionem. lin. seq. verum l. veram. p. 7.
l. 12. illi l. illis. p. 12. l. 10. exascitati l. exasciati. ibid. l. 24. dominans
l. Dominus. p. 17. lin. 4. foream l. foream. ibid. l. 15. Sapientia l. pro-
videntia. p. 24. l. 15. distingunt l. distinguunt.



SCWERDT-

SCHWERTFEGERE, novos *Sophies* tibi
quæris honores,

Et *Phæbi* lateri proximus ire cupis:
Ad Lydium lapidem te nuper & *ille* probavit,
Qui laudat mentis dona probata tuæ.
Prælia *Palladia* nova jam committis in æde,
Bella movens animo fervidiora tuo.
Auspice, perge, DEO, porro te ferre sub astra,
Atque sacram Cyrrhæ fonte levare sitim:
Sic erit, ut virides lambant tua tempora lauri,
Et novus ex merito te tueatur honor.

Nobilissimo, Politissimoque

DN. WULFIO SCHWERTFEGERO,

*Magisterii Candidato dignissimo,
Auditori & Amico suavissimo,
cum voto omnigenæ felicitatis
festinanter scribeb.*

CHRISTIANUS Saalbach/
Poetic. ac Orator. Prof. Ordinarius,
Facultatis Philosoph. Senior, & h.c. **DECANUS.**

Clarissimo.

PHILOSOPHIÆ. CANDIDATO.

DN. WULFIO. SCHWERDT-
FEGERO.

Fautori. Amico. &c. Civi-
meo. colendissimo.
Cum.

Elegantissimum. hoc. eruditionis. sua.
Specimen.
tum.

Summos. in. Philosophia. honores.
propediem.

Felicissimis. utinam. auspiciis.
Secuturos.

ex. animo. gratulatur.

M. GEORGIVS. WALLIN. Fil.
Angermannia. Svecus.

TUrpia num referes vanæ mendacia lingua,
Atque artes Sisyphi num celebrare velis?
Perfida num revocas Furiarum pectora ab Orco,
Et stygias tecnas, Tartareosque dolos?
Talia sed sordet TUA mens, ubi confidet omnis
Doctrina ac unquam non temerata fides.
Percipio mentem. TUA stat sententia fixa;
MENTIRI TURPE EST, SED SIMULARE
LICET.

Nunquam TE fallant animi sub VULPE latentes.
Hoc opto WULFI, candide Amice, Vale.

Itineri accinctus,
festinanter scripsi
Gryphusweldio, d. IX. Jan. M. DCCIX.

Clo

Clarissimo atque Eruditissimo
DOMINO
WULFIO SCHWERDT-
FEGER,

Philosophiae Candidato Dignissimo,
Civi, Fautori & Amico in paucis dilecto.

Gloria virtutem & præmia comitantur labores, sicut umbra corpus. Laborem qui fugit, honores & bona quaæque recusat. Frustra agricola copiosam exspectat segetem, si agrum negligenter tractat, illumque sordescere patitur; Non est quod mercator largas sibi promittat opes, si quietam agere vitam ac omnibus molestiis vacare cupit; Nunquam miles laurea coronatur, nisi contra hostes rem præclare ac fortiter gerat: Neque is, qui Palladis sequitur castra, ulla gloria dignus censemur, nisi summo labore & perpetuo sudore studiis invigilet. Nam non datur ad Musas currete lata via, sed labores sunt perforandi, antequam solidam rerum scientiam aliquis consequi potest. Si Tuam, Clarissime Domine Schwerdtfeger, indefessam in literarum studiis assiduitatem mecum reputo, nullus dubito, quin tuo exemplo hacce optime con-

confirmari possint. Neque enim otio, neque voluptatum illecebris floridam tuam consumisti ætatem, sed studia diurna nocturnaque manu pertinaciter pertractasti, haut immemor egregii Tibulli moniti:

*At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere, non tardo labitur illa pede.*

Hinc factum est, ut non modo ad solidiorem perverneris eruditionem, verum etiam Amplissima Facultas Philosophica in alma hac Musarum sede, præmis, quæ tua promeruit doctrina, Summis nimis in Philosophia honoribus, te dignum judicaverit. Non vero est, quod tuam ingenii præstantiam, doctrinam atque in studiis assiduitatem laudibus jam prosequar, cum id tua vetet modestia, & eruditio-
nis industriæque tuæ insuper magis idoneus adeat interpres, præsens *de Moralitate Falloquii* Dissertatio, in qua elaboranda commendabilem adeo tibi operam sumi-
sti, ut bonorum approbatione minime sis defraudandus. Gratulor igitur Tibi insigne hocce ingenii & industriae specimen, & ut impo-
sterum omnia tibi ultra vota succedant prosperri-
ma, ex animo voveo. Vale & fave

Tibi

addictissimo

M. CHRISTOPH. STRAUCH/
Stockholmia Sueco.

Clarissimo Candidato
WULFIO SCHWERDTFEGER
S. P. D.
JOACHIMUS ERICH.

QUæ tot jam sæculorum ingeniorumq;
conscientiam fugit *VERITAS*, no-
stris tandem temporibus à fuga retracta
à te quoque excipi ac propius inspici gestit
Clarissime Candidate. Qualis est, nuda &
sine fallaciis ac suco prodit, tu secundum
gravitatem & rectitudinem iudicii tui,
præsenti in hac dissertatione sat luculenter
proposuisti. Ingenii tui excellentiâ, sum-
maque industriâ & assiduitate non vanam
illam Philosophiam, quæ ad solam ostentationem
pertinet sed cordatam & masculam
altissime penetrasti. Enim vero & ad vir-
tutem & ad sapientiam indies magis ma-
gisque intendisti. Ut mens tua quantum
F per

per corporis vincula licet, quibus est impe-
dita, nihil, quod aut bonum aut scitu di-
gnum est, prætermittat. Effectus tuæ indu-
striæ ex hoc egregio specimine toti litera-
rum orbi judicare facile erit. Academia
hæc nostra etiam coronabit studia tua post-
quam jam in rigoroso examine, te dignum
ad summos in Philosophia honores accipi-
endos judicaverit. Gratulari itaque Ti-
bi candidate eruditissime me oportuit de
erudito hoc specimine. Faxit Summum
Numen ut hæc studia tua vergant in sui
gloriam, patriæ & familiæ emolumentum.
Ego quoties tui in mentem venit, venit au-
tem sœpissime, vota facere non desinam, ut
Deus ter optimus maximus te quam diutis-
sime mortalium cœtibus patiatur interesse
ad Philosophiæ dignitatem instaurandam.
Vale & me amare perge.

Datum Gryphiswaldie
die 12. Januarii 1709.

Cla-

Clarissimo Philosophiae Candidato,
WULFIO SCHWERDTFEGER,

Autori Dissertationis hujus solertissimo,
Amico & Fautori suo certissimo

s. d.

P R A E S E S.

Egregium prorsus monitum est, quod Simoni filio Rabban Gamalielis adscribitur ר' א' המורה והוא העיר אלא המעשה *Doctrinam* *nentiquam partem esse principaliorem, sed operam.* Ideo veram demum illi merentur laudem, qui ita proficiunt in studiis, ut simul crescant in moribus, & quicquid discunt, quod ad depravatam naturam corrigendam facit, ad auream deducunt praxin. Hoc postquam Te facere observarem, *Clarissime Domine Schwerdtfeger*, non potui non ingeni Tui dotes, virtutesque valde amare. Philosophiam enim moralem, non tantum theoretice sed practice addiscere magno animi ardore studiasti. Ab illo namque tempore, quo familiarius Tecum vivere coepi, singularem Tuam in studiis diligentiam, industriam & morum integritatem in Te mirari me oportuit; indeque factum est, ut Amplissimus Philosophorum ordo in Illustri hac


F 2

Gry-

Gryphica Universitate Te dignum judicaverit, qui
in numerum Candidatorum Magisterii recipere-
ris. Ut autem publico simul specimine laudabi-
les Tuos profectus Patronis Tuis, omnibusque
elegantiorum literarum æquis æstimatoribus pro-
bares, præsentem mihi exhibuisti disputationem,
in qua argumentum ex Philosophia Morali desum-
tum singulari judicio elaborasti; quodque Te pu-
blice masculine defensurum nullus dubito. Tibi
itaque in via sapientiæ currenti calcar addere vo-
lo, ut strenue pergas, quemadmodum cœpisti, quo
Ecclesia patria, cuius commodis Temet conse-
crasti, in Te solatium sentiat certissimum, eamq;
non tantum intemerata veritate cœlesti, a tot ho-
stibus sub hac mundi senectute pietatem menti-
entibus divexata, secundum ὑποτυπωσιν τῶν ὀργιανο-
τῶν λόγων pascas, sed & vita probitate ad cœlestem
patriam ei præreas, juxta illud: נאש חוכם ספֶּה עַשְׂרִים Elegantissima sunt verba pro-
deuntia ex ore facientium illa. Vale & omnia feli-
citer agel! Scribebam in museo die

12. Jan. 1709.







B.I.G.



2. B. V. D.
De

MORALITATE FALSILLOQUII DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

Quam

Permissu

Amplissimi Ordinis Philosophici, T. 28

In

Regia Pomeranorum Universitate,

Sub PRÆSIDIO

DN. M.N. NICOLAI GRUBB,

Westr. Roth, Suec.

Publico Eruditorum Examini

modeste exponit

Auctor & Respondens

WULF SCHWERDFEGER;

Helsingb. Suecus.

Ad D. 16. Januar. M DCC IX.

GRYPHISWALDÆ,
Typis GEORG. HENR. ADOLPHI,
Acad. Reg. Typogr.

